



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

Strunck, Michael

Neuhusii, 1715

S. Engelbertus Comes de Altena, Martyr & Archiepiscopus Coloniensis

urn:nbn:de:hbz:466:1-28481

S. Engelbertus Altenæ &
Montium Comes, Martyr & Archi-
episcopus Coloniensis.

Martyrio confectus est Gevelsberge prope Schvvelmam in Marchia die 7ma Novembr. Vita hæc desumpta est ex ea, quæ est apud Casar. Heisterbac. Item ex Gelen. in notis ad ejus vitam. Valentino Leuchtio in vitis SS. Germanicè. Godefrido Monacho apud Gelen. Schaten tom. 1. annal. Paderb.

Stirps Altenana à Beatis Adolpho & Everardo, Montensium & Marcanorum Comitum vetusta mater, S. Engelbertum huic mundo genuit anno 1185, parentibus Engelberto Comite, & Margaritâ Henrici Geldriensium Comitis filiâ. Mirum est, quanti tunc ubique passim, & maximè apud Ubios huic familiæ honores fuerint. Nam & patruos hic Engelbertus habuit [a] Fridericum ac B. Brunonem tertium; & Adolphum patruelem; & Brunonem 2dum avi sui fratrem, omnes Metropolitanæ Coloniensis Archiepiscopus & S. R. I. Electores. Accessum tamen sibi stravit ad honores maximos, non tam proavorum sanguine, quàm virtute propriâ,

[a] Gelen. in notis ad e. 3. l. 1. vita ejus pag. 13 & 14.

priâ, cujus eximia claritate tantam suâ existi-
 mationem injiciebat animis omnium, ut il-
 lum jam in ætate juvenili dignitates Ecclesia-
 sticæ certatim circumfluerent. Vix enim è
 pulvere scholastico manumissus, [b] summam
 apud Ubios in æde Metropolitana Præpositu-
 ram tenuit; aliâsq; præterea duas ad S. Geor-
 gii, & S. Severini, quæ solem hunc orientem
 adoraturæ, primam ætatis maturefcentis au-
 roram unâ salutabant. Anno deinde 1203, qui
 Engelberto ætatis suæ post decimum octavus
 erat, suffragiis eligentium expetitus est [c] ad
 Monasteriensem infulam, ab obitu Herman-
 ni Cattimeliboci tunc vacantem; cui tamen
 dignitati ut humeros ille suos tunc suppone-
 ret, adduci nequaquam potuit, ætatem causa-
 tus adhuc teneram, tantisq; muniis in Ecclesia
 obeundis nondum accommodam. Interea
 gravissima tempestas cæpit incumbere in Ec-
 clesiam Colonensem. Adolphus Archiepi-
 scopus nescio quo corruptus auro & promif-
 sionibus turpi defectione recesserat ab Otto-
 ne Imperatore legitimo, cujus tamen confir-
 mationem ipse haud multò antè magnis solli-
 citationibus à Sede Pontificia impetraverat.

D 5

Jámq;

[b] Gelen, *ibid.* pag. 24. [c] Gelen, *ibid.* pag. 29.

Jámq; eò audaciæ processum erat, ut, [d] cùm Otto ab infirmitate quapiam lecto afflixus esset apud Ubios, ipse interim Philippum Sueviæ Ducem Imperiali diademate coronaret Aquisgrani Anno 1205. Gravissimam res ista cladem ac perturbationem peperit toti Diocesi, quæ abinde per annos 11 non solum incendio, ferro & rapinis, sed etiam atroci schismate miserrimè lacerata fuit, Adolpho primùm, pòst etiam Theodorico, qui in ejus locum surrogatus fuerat, auctoritate Sedis Pontificiæ à communione fidelium & Archiepiscopali dignitate submotis. Placuit tamen divinæ benignitati tandem his malis finem imponere anno Christi 1216, quando S. Engelbertus communi omnium suffragio ad illius Ecclesiæ diu fluctuantis gubernacula suffectus est die 22 Februarii. Summa in hoc viro eminebant omnia. Virtutem ejus & prudentiam quanti fecerit Fridericus Cæsar, qui post Ottonem rerum in Germania potiebatur, satis indicant honores illi, quibus ab eo nullo non tempore cumulatè ornatus fuit. Cùm enim Româ à coronatione suâ in Apuliam Siciliamq; iter faceret, [e] non modò imperii totius administrationem cis Alpes, sed etiam

[d] Gelen. pag. 30. [e] Gelen. in notis ad c. 5. l. 1. vite.

etiam Henricum filium commendavit Engelberto; qui eundem postea anno 1222 adhuc decennem puerum in magna ducum Procerumq; coronâ insignibus regni Germanici decoravit Aquilgrani die svâ Maji. Pacatissima tunc erat in imperio toto quies sub auspiciis tanti moderatoris, talésq; volvebantur anni, ut Octavii Augusti tempora renovata esse viderentur. Non minis tunc opus erat, aut poenis gravibus, quæ compescerent in scelus efferos projectósq; : vel exiguum aliquod signum, quo voluntas tanti Præsulis manifesta fieret, ad omnem injuriam propullandam satis erat. Petebat eo præsentem mercatorum aliquis ab alio quodam Archiepiscopo, fidem ut ipsi suam per literas (ut vocant) salvi conductûs obliget, quò possit securus & citra periculum per ejus Diœcesin ire cum suis mercibus. Id cum negaret Archiepiscopus in sua potestate positum; malitiam nobilium militumq; id loci majorem esse, quàm ut securitatem ab eorum insultibus possit addicere : audiens hoc [f] Engelbertus, atque ad mercatorem se convertens : Hem! inquiebat, bone vir : meone te conductui tutò commiseris? Etiam Domine, reponebat mercator. Moxq; iterum

[f] *Cesar. Heisterb. in vita c. 5. l. 1.*

rum Engelbertus: Cape igitur Chirothecam hanc meam (& exuebat illam, dabátq; homini) ostende hanc, ubi ad arcendam injuriam opus fuerit; & si quid tuis rebus nocementi allatum fuerit hoc signo commonstrato, omne tibi damnum à me reparandum spondeo. Acceptabat mercator conditionem istam, & beneficio chirothecæ hujus, aut veriùs ob timorem, quem signi illius exhibitio incutiebat omnibus, tanta securitate suas deduxit merces, ut nihil uspiam incommodi in sua profectioe passus fuerit. Accedebat tam spectatæ apud omnes authoritati longa aliarum virtutum ac meritorum series; in primisq; singularis devotio in Deiparam Virginem, ad cujus honorem non modò bis peregrinatum abiit ad [g] rupem S. Amatoris magna prodigiorum hominumq; confluentium multitudine haud procul ab urbe Tolosa celebrem; sed etiam omni die mercurii per annos plurimos ab omni esu carniùm geminàq; refectioe sese abstinebat. Dominicanorum & Franciscanorum ordines in urbem Coloniensem primus introduxit anno 1221; eorumq; uti & aliorum ordinum religiosos tanto venerabatur demissionis

[g] Sita est hac in Gallia prope Tolosam ubi S. Amator Ecclesiam olim struxit sub patrocínio B. M. V.

tionis affectu, ut & [h] venientibus statim as-
 surgeret, & loquentibus non aliter colloque-
 retur, quàm si ad instar alienjus subditi eorum
 potestati subiectus esset. Sacerdotes sæcula-
 res maximèq; penuriâ & paupertate pressos
 neglectis personis illustrioribus jubebat in sua
 mensa secum accumbere, cibúmq; ex eadem
 lance, & potum eodem ex cratero vicissim
 sumere: imò & vestes proprias, quibus ad
 breve tempus usus fuerat, iisdem solebat elar-
 giri, quò se possent honestiùs in oculis alio-
 rum ferre. Nec minore liberalitatis & com-
 miserationis studio ferebatur in alios inopes,
 pupillos, viduas, & afflictos: quorum aliquos
 [i] si videbat eminus sibi cupientes loqui,
 etiam in mediis turbis ac negotiis constitutus,
 nutu illos aut emisso nuntio accersebat ad se-
 se, cunctisque querulationibus summâ patien-
 tiâ auscultatis ocyùs expediebat ea, quæ ad
 relevandas eorum necessitates factura esse vi-
 debantur. In iter aliquando cùm se daturus
 esset, [k] per palatii gradus descendenti oc-
 currebat homo suis se rebus aut possessioni-
 bus, nescio à quo, exutum conquerens. En-
 gelbertus, ut erat ocreis calcaribúsq; accin-
 ctus

[h] *Cæsar. Heisterb. in vita l. 1. c. 9.* [i] *Idem l. 1. c. 7.*
 [k] *Idem l. 1. c. 8.*

ctus ad profectiōem, aurem continuò præbebat postulanti, etiam stante, ut a jure, pede: ac tametsi à supremo Aulæ Magistro (quem moderno tempore Mareſcallum dicimus) de angustiis temporum & itineris longinquitate iterum iterumq; esset monitus, ipse tamen, quasi interpellantem urgentemq; non adverteret, innuebat homini; pergeret modò & causam suam penitiùs explicaret; curaturum se, ut ubi rei æquitas pro eo staret, ad obolum usque restaurentur omnia. Re comperta Notarium jubebat advocari protinus, literasq; restitutionis faciendæ indices obſignari: quas deinde homini afflicto in manus tradens, vade, inquit, ostende ei, à quo injuriam passus es, literas hâſce. Si tibi non fuerint restaurata omnia, ad me revertere; & ego tibi præstabo omnia: eòq; dicto in equum se injecit & abiit. Luculentius tamen suæ erga pauperes misericordiæ studium bonis omnibus palàm fecit anno 1225, qui eidem suæ vitæ postremus erat. Affligebat eo tempore Diœcesin fames gravissima; nec poterant hominum plurimi etiam ære numerato annonam impetrare, quam petebant. Ut ergo huic malo medelam ferret Præsul optimus, conductis repente navibus, quidquid frumentorum poterat, aliis è regio-

regio-

regionibus curabat importari : quæ deinde in egentiores quosque & vel maximè in ea religiosorum Monasteria, quæ præ aliis majore penuriâ laborabant, liberali manu distributa sunt. E diverso nihil ferebat ægrius, quàm Prælatos illos, qui, cum bonis omnibus abundarent, ex iis tamen, quæ sibi superfluebant, in alios sumptum facere subterfugerent. Horum ille tam severus insectator erat, quàm erat in omnes cæteros pene ad profusionem largus. Præerat alicui suæ Dicecesis monasterio homo pecuniosus admodum, sed qui adventantium peregrinorum neminem, pro ut ex regula sua obstrictus erat, liberali hospitio sua sponte suscipiebat. Quid hinc ageret Engelbertus, quem ejusmodi avaritia plurimum offendebat? stultum putabat, ex iis, quæ olim è parentum nostrorum eleemosynis pie condita ac fundata sunt, nolle eleemosynam facere, & eorum liberalitate ad turpem quæstum uti. Itaque [1] ut Præpositum istum revocaret ab hisce sordibus, iterum iterumque annis singulis magno equitum nobiliumque stipatus agmine apud ipsum suo in monasterio divertebat, atque ita compellebat illum intra diem unum alterumve tales expensas facere, quæ

[1] Gelen. in notis ad c. 9, vitæ l. 1. pag. 118.

quæ peregrinorum toto anno adventantium
 alimoniam planè suffecissent. In promovenda
 piorum conversione & tutanda immunitate
 personarum locorumq; factorum, quàm esset
 ardens & zelosus admodum, ostendit in B. Ca-
 tharina Coloniensi. Hæc parentibus Hebreis
 orta Coloniæ, cum [m] ætatem adhuc ageret
 quinquennio non majorem, singulari quo-
 dam impulsu Numinis ad fidem Christianam
 & servandæ virginitatis studium cæpit affici,
 tantaq; teneritudine animi in Deiparam Vir-
 ginem exardescere, ut sæpius de parentum
 mensa panem occultò surriperet, quem pau-
 perculis hominibus sacrum MARIÆ nomen
 usurpantibus in stipem daret. Inde Lovani-
 um cum parentibus suis veniens, atque à Ray-
 nero presbytero, qui Duci Lovaniensi à sacris
 erat, fidei Christianæ articulos clam edocta,
 tanta eos excipiebat aviditate, ut Raynerus, &
 quam ipsi adhibebat, pia mulier ejus anhelan-
 tis desiderio vix possent docendo satisfacere.
 Quod ubi parentes comperere, visum est,
 Rachelem suam (id enim tunc adhuc puellæ
 nomen erat) in provinciam Transrhenanam
 mittere, ibiq; ut ab ejusmodi consiliis arcere-
 tur, alteri cuidam ac pertinaci Judæo educan-
 dam

[m] Gelen, in vita S. Engelberti pag. 88.

dam tradere. Non poterant tamen rem suam adeò tectè clanculúmque instituerè, quin sagaci puellæ aliquid suboleret. Itaque ad Raynerum convolans, quid negotii secum ageretur, confestim aperit, simúlque summis ab eo contendit precibus, ut si vellet se salvam esse, eadem adhuc nocte à complexu parentum se abstraheret, salutaribus undis tingendam renovandámque. Nocte proxima cùm iterum, nescio an oblita eorum, quæ condixerat, in parentum suorum ædibus remansisset, dormienti apparuit Virgo Beatissima, virgámque fulgentem illi porrigens, *Surge*, inquebat, *surge Catharina, & iter confestim arripe: grandis enim tibi restat via.* Illa suis manibus virgam se prehendere arbitrata è lecto decidit, ocyúsque soluta somno ad Raynerum revolat, à quo ad Monasterium Virginum Cisterciensis instituti, cui Prato Dominico nomen erat, deducta, sacróque baptismatis fonte mox abluta, cum nomine Catharinæ jam antè à Deipara sibi imposito, habitum Cisterciensem devotissimè assumpsit. Verùm, quo majus erat puellæ gaudium, eò acerbiorè luctu parentum infidelium corda tenebantur. Itaque vehementi conatu egère apud Hugo-

E

nem

nem Leodiensem Episcopum, filiam ut sibi restitui faceret, saltem ad annum usque in domi suæ educandam. Consensit ille iniquæ postulationi, datisque ad Abbatisam literis (quid enim aurum non potuit? gravi comminatione puellam adigit, ut deserto monasterio, coram se & parentibus suis Leodii causam diceret. Paruit puella, ut debebat, tantis adstricta imperiis; &, quanquam vix septennium ætate superasset, nihilo tamen minùs tanta sapientia ac fortitudine rem suam egit coram Episcopo, ut omnibus lucri captandi gratiâ sibi adversantibus ruborem excusserit, & postliminio ad monasterium reversa fuerit. Non multo post conductus est à parentibus Hebreus juvenis, qui simulato fidei Christianæ desiderio baptismum susciperet, peteretque à Catharina, ut sibi cum ea velut cognata sua de rebus fidei liceret differere: hac enim ratione persuadebant sibi, filiam adhuc juvenèis perplexitatibus involvendam esse, quæ eam ad Judaicæ gentis superstitionem revocare possent. At illa fraudem subodorata impostorem hunc nec aspectu quidem, nedum alloquio suo dignari voluit; Virginique Beatissimæ, cui genua sua identidem submittebat, ardentius se commendans, illud sæpius apud

ejus

ejus imaginem prolocuta est : *Ego paupercula, pupilla, & indigna, ad te Dominam meam & cognatam accedo : tu sola præ omnibus post Deum esto mihi refugium & solatium mee anime.* Ita discussis per *MARIÆ* opem tentationibus vitam deinde in eodem cœnobio duxit omni virtutum & sanctitatis genere ornatissimam. Hugo autem, quem supra dixi, Leodiensis Episcopus, quod parentum Judæorum voluntati nimium concessisset, post institutam apud *S. Engelbertum* accusationem, in provinciali synodo *Coloniensi* acerrimis verbis castigatus est, didicitq; ab eo tempore ex mandato sancti hujus Archiepiscopi nunquam amplius cœnobio isti aut puellæ jam Deo dicatæ molestum esse. Quid dicam de aliis commodis, quæ ab hoc sancto Præsule in Ecclesiam Catholicam profluxêre? prædia & feuda plurima Archiepiscopatu suo diu subtracta & à multis ejus antecessorib⁹ sive per torporē sive per defectum roboris & potentiæ sufficientis neglecta, suâ, quâ pollebat, sapientiâ ac fortitudine recuperavit : bonorum Ecclesiasticorum invalentibus raptoribusq; velut murum aheneum se opposuit : fines Diœceseos sibi commissæ castris & possessionibus non paucis auxit : templis & cœnobiis, ubi ubi ferebat

occafio, mecænatem fe exhibuit : [n] Eccle-
 fiam fancti Petri Metropolitanam , ut in for-
 mam auguftiorem extollerent, Canonicis Ca-
 thedralibus auctor fuit, eúm q; in finem ftatim
 ad initia tanti operis promittebat 500 mar-
 cas , ac deinde annis fingulis marcas totidem,
 donec ea fabrica ad fastigium deducta effet.
 Curabat quoque è gemmis pretiofis fabrefie-
 ri calicem aureum , quingentarum & amplius
 marcarum pretio , quem ipfe fuper altare S.
 Petri oblaturus erat , nifi martyrii & paffionis
 fuæ calicem prægustare compulfus effet. Oc-
 cafionem caufamq; mortis ex Gelenio & Cæ-
 fario Heifterbacenfi [o] fic paucis refero.
 Fridericus Henburgi ad Ruram Comes & En-
 gelberti ex patruale nepos magnis ea tempe-
 ftate injuriis divexabat Ecclefiam & Collegi-
 um Effendiense Virginum, cujus ipfe nomine
 quidem Advocatus erat , re autem hostis &
 direptor infenfiffimus; ideóq; & Imperator &
 fummus Pontifex feueriffimas ad Engelber-
 tum literas destinaverant , quibus jubebatur
 Abbatix illius caufam fufcipere & omnes ini-
 qui invaloris machinationes ab ea procul pel-
 lere. Obtemperabat extemplò fanctus Præ-

[n] Cæfar. in vita l. 1. c. 9. [o] Cæfar. Heifterb.
 in vita l. 2. c. 1. & 2. Gelen. in notis ibid.

ful; cumq; jam sæpius monuisset Fridericum, ut iniquè rapta iterum ab se dimitteret, & tamen nec minis quidquam, nec intentatis Ecclesiæ censuris ab eo impetraret; tandem Susati, quæ tunc Angariæ metropolis erat, conventum publicum indixit ineunte Novembre anni 1225, Comitèmq; Fridericum eòdem evocavit, per consanguineorum & Procerum consilia extremum tentaturus. Accessère præter [p] Conradum Episcopum Mindensem, Theodoricus Monasteriensis & Engelbertus Osnabrugensis Præsul, Friderici fratres, aliique vel amici & cognati vel nostræ saltem Westphaliæ Proceres ac Primates. Horum in congressu, cum Engelbertus causam Capituli Essendiensis ex mandato summi Pontificis constanter ageret, Fridericus tam severi juris impatiens primùm de ejus acerbitate vehementer conqueri; tum deinde consilia sua cum Comitibus Arensbergensi, Tecklenburgensi, aliisque quos Engelberto offensos noverat, communicare; tandem etiam occulta machinatione necem eidem cudere, & nefarios quosdam in sceleris societatem secum trahere. Monebatur eà de re [q] En-

E 3

gel-

[p] *Conradus de Diepholt, Episc. 291115.* [q] *Cæsar. in vital. 2. c. 4.*

gelbertus per secretas amici literas : quas ubi Conrado Mindensi uni ex suis intimis legendas tradidisset, *Cave tibi*, dicebat ille, & *tuae saluti prospice, si non tui ipsius causâ; certè propter utilitatem & commoda Ecclesie tibi demandata.* Quid autem ad hæc Præsul sanctus? *Angustie*, inquiebat, *sunt mihi undique, & quid faciendum sit, prorsus ignoro. Si tacuero, vae mihi! si autem aperuero, quæ mihi per literas allata sunt, pejùs audiam, omniumq; amicorum meorum una ac turbulenta vox erit, fratricidii tam immanis crimen sibi falsò à me impactum esse.* Itaque ne discordiæ novæ semina ab his literis nascerentur, easdem, simul ut à se & Conrado perlectæ fuerant, pedibus proculcatas in ignem misit, hoc interim è profundo corde suspirium ducens : *Ego ab hac hora corpus & animam meam Divina committo providentia.* Inde ad curas sacratiores animo conversus eundem Mindensem sevocavit in sacrarium templi, tantòq; illi doloris sensu conscientie suæ nævos generali, ut vocant, confessione exposuit, ut identidem verba misceret lacrymis, diceretq; *Novit Dominus, cui perspecta sunt arcana omnia nostrorum cordium, nihil à me de industria celatum esse.* Solvebatur interim successu irritò conventus Susati habitus, diésq; altera desti-
nata

nata erat profectio[n]i ad [r] Schwelmam Oppidum, ut Ecclesiam ejus loci consuetis cærimoniiis dedicaret. Priùs tamen, quàm se in viam daret, iterum summo mane ad se vocavit Conradum Præsulem, iterumq; apud eum inter copiosissimas lacrymas à minutissimis quibusque peccatorum reliquiis tam sollicitè suam expurgavit conscientiam, quàm qui eodem adhuc die moriturus esset. Unde etiam peractâ confessione planè ad mortem alacris, jam, inquit, *me meoq; fiat corpore, quod supremo Numini visum fuerit.* Interim pulsabatur ad sacelli ostium, nolebátq; sanctus Præsul illud pulsantibus aperiri, quòd oculos adhuc haberet à fletu humidos tumidósq;. At ubi non multò post importuni pulsus isti magis magisq; invaluère, simulq; nuntiatum esset, Monasteriensem & Osnabrugensem Episcopos foris præstolari, tandem siccatis oculis facièq; à lachrymis expurgata januam reserabat, dicebátq; admissis intrò: *Vos Domini mei ambo mihi estis summa necessitudine & cognatione juncti. Ego, ut ipsimet nostis, nullâ in re ququam offendi vestrum; sed vos fratresq; vestros pro meis semper viribus promovì, quantum potui: & tamen non ab uno homine seu literis seu verbis*

E 4

60m.

[r] Schwelma Oppidum Marchis.

comperi, Fridericum fratrem vestrum, quem semper dilexi intimè, in meum caput insidias fabricare, & mortem meditari mihi. Quanto id dolore mentem meam vulneret, nihil atinet hoc loco dicere; vos ipsi eâ de re arbitrium facite. Itane verò, reponebant illi, ista de te Fridericus cogitet? absit Domine, tam sinistra tibi suspicio in mentem veniat. Nihil est quòd formides: alius certè est frater noster, quàm qui suas manus tam infando parricidio ausit commaculare. Hos inter aliòsq; id genus sermones discessu paulatim facto Engelbertus sese in iter contulit; & [s] Fridericus Comes, quò conceptum animo scelus fallaciùs regeret, cum eo Susato exiens blando ac familiari colloquio ad tempus aliquod abeuntem deducebat. Inde petita discedendi facultate ad suos confestim properat, iisdemq; dispositis atque ad omne scelus animatis, sub meridiem primò ac deinde sub vesperum iterum iterumq; nunc benigno, nunc feroce vultu redit ad Archiepiscopum, tanto omnibus incusso metu, ut pars aulici comitatûs sensim diffugeret. Erat tum feria sexta post festum Omnium Sanctorum; & Antistes sanctus eodem adhuc die parùm aut omnino nihil ciborum sumpserat, sive ut ad solennitatem futuræ dedi-

[s] *Cesar. Heisterb. in vita l. 2. c. 5.*

dedicationis castigatius sese præpararet, sive ut jejuno corpore victima immortalī Deo placentior fieret. Sole ad occasum inclinante [t] monebat è suis fidelioribus aliquis, consuleret salutī suæ modo quo posset optimo; crebrum hunc Friderici Comitis accessum recessumq; sibi meritò summè suspectum esse. At ille : *Non timeo, quia nocumentum illi nullum attuli.* Tum ad Comitem paulò post conversus : *Sciebam, inquit, mi cognate, quod hac nocte mansurus mecum, & eodem hospitio recipiendus esses.* Ad quæ tamen verba nihil à Friderico responsi tulit, utpote sibi malè conscio, solaq; necis inferendæ consilia secum pervolvente. Interim obscurâ luce perventum est ad viam concavam in summitate montis [u] Gevelsberg; qui locus, cùm sui profunditate ac depressione insidiis aptissimus cædīq; destinatus esset, signo dato sicarii omnes (erant [x] autem viginti quinque) uno impetu strictoq; ferro in Engelbertum involant, aliisq; super alios inflictiis ictibus tanta barbarie gladiolis pugionibúsq; jacentem perforârunt, ut præter leviores quosdam [y] punctiones 47

E 5

letha-

[t] *Cesar. in vital. 2. c. 6.* [u] *Gelen. in notis ad c. 7. vita.* [x] *Gelen. ibid. pag. 145.* [y] *Godre- frid. Monach. apud Gelen. pag. 145.*

lethales plagæ in occisi corpore numeratæ fuerint. Ita propugnata Ecclesiæ libertas non minùs Engelberto , quàm Thomæ Cantuariensi vitam abstulit ; quantumq; hic Angliam , tantum ille Westphalam suo Martyrio decoravit. Corpus ejus , ne à feris indignè tractaretur , eâdem adhuc nocte bigæ sterco-rariæ impositum Schwelmam attigit ; unde die altera, quæ erat 8va Novembris ad monasterium Aldenbergense , ac deinde ejusdem mensis die 10ma magno omnium mœrore ac luctu Coloniam Agrippinam deportatum est. Accelerata tunc statim fuere Cleri Coloniensis comitia , delectusq; die nono ab Engelberti cæde , id est , 15ta Novembris Henricus à Molenarck excelsi animi & acris ingenii vir : qui sancti Prædecessoris sui mortem ulturus , cùm ejusdem corpus Francofurtum ad Imperii Romani Proceres curasset deferendum , dici vix potest , quantum Fridericus Imperator & omnis illius aula tam ferali aspectu commota fuerit. Certè [2] Henricus Rex junior & Cæsaris Friderici filius , cujus olim ut initio dictum est , curatorem instructoremq; per absentiam Patris egerat , non aliter ejus mortem luxit , quàm vel pupillus tutorem suum,

[2] *Cesar, ibid. c. 13.*

suum, vel filius extinctum patrem. Gloriam hujus sancti Martyris (hoc enim nomine non multo post in Moguntina Synodo à Conrado Apostolicæ Sedis Legato publicè insignitus fuit) statim Deus non modò miraculis pluribus, sed etiam illustri apparitione orbi manifestam fecit. Die octava à cæde perpetrata vir pius ex ordine Canonorum Regularium, cui Ludovico nomen erat, pro Engelberti anima faciebat ad aram. Sub initium Canonis [a] Præsul Sanctus pontificali indutus veste vultuq; hilari sese visendum offert, & Sacerdoti divinis mysteriis operanti per omnia se conformat. At ubi eò loci deventum est, ubi pro defunctis commemoratio solet fieri, eumq; ante alia mortuorum nomina Sacerdos protulisset, *Non est, inquiebat, necesse frater mi, ut inter mortuos mei memoriam facias. Ego cum Deo sum, & in choro Sanctorum Martyrum liquidissimis perfundor gaudiis. Hoc autem pro certo habe, omnes eos, quorum vel consilio vel gladiis occisus fui, malè perituros, idq; multò citius, quàm sibi quisquam persuadere queat.* Fidem stetit huic vaticinio, eventus docuit. Fredericus in primis, qui sacrilegii totius caput erat, anno post perpetratum facinus evóluto, Coloniae

[a] *Cesar. Heisterb. in vital. 2. c. 10.*

Coloniæ extra portam S. Severini atroce [b] crurifragio plexus est, & infami rotæ etiam adhuc vivo & spiranti corpore impositus. Per merita tamen S. Engelberti pœnam hanc tanta patientia pœnitudine & constantia toleravit, ut identidem se reum clamans non modò membra singula carnifici confringenda ultrò obtulerit; sed etiam jam in rota positus ibidémq; ad preces usque matutinas in vivis perseverans aliud nihil ageret, quàm assiduis precibus cœlum incessere, aliòsq; ut idem pro se facerent, ardentè deprecari. Alii ejusdem consortes sceleris vel eodem supplicio affecti, vel per plateas urbium ligatis ad equos pedibus horrendum in modum tracti, vel bonis ac possessionibus exuti atque in exilium missi miserabili fine, quod reliquum vitæ erat, conclusêre. Inter miracula hujus Sancti beneficio cœlitus impetrata recensentur propediè restituti [c] cæci novem, surdi quatuor, paralytici & febricitantes undecim, totidém manci & claudi, octo contracti, muti duo; mortuus unus vitæ redditus, aliq; viginti quatuor à malis morbisq; aliis ad sanitatem revocati. Diem sanctissimi obitûs, quæ est 7ma 9bris,

Fer-

[b] *Cesar. ibid. c. 17,* [c] *Gelen. ad vitam S. Engelberti pag. 292.*

[d] Ferdinandus Archiepiscopus Coloniensis officio Ecclesiastico celebrari curavit anno Christi 1618.

[d] Gelen. in vita S. Engelberti pag. 171.

B. Everardus Comes de Altena, in Marchia Westphalica, ex milite Religiosus Cisterciensis Aldenbergæ in Ducatu Montium.

Refertur cum titulo Beati à Bucelino in Menolog. Benedict. ad diem 20 Martii. Chryf. Henriquez in Menol. Cisterc. Theod. Rhay in anim. illustr. Gelen. in auctar. histor. S. Engelberti pag. 306, & alibi. Agunt etiam de eodem Gaspar Longelinus in Notitiâ Abbatiar. Ord. Cisterc. de fundat. Veteris Montis. Angelus Manrique in anal. Cisterc. to. 1. ad annum 1129. c. 4. & ad annum 1133. c. 3. n. 7. & ad annum 1141. c. 10. n. 8. Levoldus à Northoffin Chron. Comit. de Marcka, & Altena pag. 11. Meibom. in notis ad Northovium & alii. Vitaejus contexta est ex iisdem & ex Gelen. l. 2. hist. S. Engelberti pag. 151.

Quo tempore Theodoricus Flandriæ & Godefridus barbatus Lovanii Comes feroci bello implicati erant cum Alexandro Episcopo Leodiensi & Walramo Limburgensi Duce, Everardus Comes de Altena cum Adolpho

pho